De Athana rerum Sicularum scriptore.

Et augetur molestia scribentium et vero legentium quod nec licet breves esse si quid in utramque partem disputabile est.

K. Lehrs. Analect. gramm. pag. 30.

I. Quum ante aliquod tempus in rebus Timoleonteis operam locare coepissemus, fieri non potuit quin a scriptoribus, ex quibus nobis haurienda est Timoleontis vita, ad eos auctores traduceremur, ex quibus illi rursus deprompserunt sua. Qua quidem quaestione supersedere nobis eo minus licebat quod, quae ab I. C. Heldio Prolegomenon in Plutarchi vitam Timoleontis Cap. II. P. I. (Progr. Baruthi 1834) p. 6. promissa, eorundem nunc Cap. III. (Progr. Baruthi 1841) foras data est — de fontibus vitae Timoleontis Plutarcheae disputatio, extra Bavariae fines egressa non fere videtur. Mihi certe, quum Prolegomenon Heldianorum partes superiores tres nancisci per bibliopolas potuissem, quartam comparare non contigit: nec quicquam de ea compertum habeo nisi quae inde Jahnius retulit in Novis annalibb. philol. et paedagog. T. XXXVIII. Fascic. 1. (Iun. 1843) p. 85. 86. — Itaque rogatum hoc loco Heldium ipsum volo ut, si acceperit quam ad eum mittam hanc meam de Athana disputationem, pro ea mihi suam remittere non dedignetur.

Ac qui appellantur rerum Timoleontearum auctores reliqui — Ephorus, Theopompus, Timaeus — quoniam pro se quisque singularem nacti sunt hominum doctorum operam: de his quidem facile acquieveris iis, quae cum ipsa re coniuncta breviter racemati sumus in eo libro, quem scriptum de Timoleonte Germanice propediem typis exscribendum curabimus. De Athana separatim a ceteris iam hoc loco dicendum videbatur: praesertim quum in longiorem sermonem vocaret a rebus Timoleonteis paulo alienior illa quidem de universa operis Athanei ratione inter Heynium, Boettcherum, Heldium litis contestatio.

Quum enim post Iacob. Bonannum ap. Burmann. Thes. Sicul. Vol. XI. p. 236. C, Ger. Io. Vossium De hist. Gr. III. Opp. Amstelod. 1699. Vol. IV. p. 164. Ed. Westermann. p. 407, Antonin. Mongitorium[1]) Bibl. Sicul. T. I. p. 85. ad Athanam

[1]) Is praeterea hos notat de Athana scriptores: „Octavius Caetanus in animad. ad tom. 2. Sanctor. Sicul. p. 43. antiquis illustrioribus Siculis accenset eum. De eo etiam Coronelli in Biblioth. tom. 4. num. 5376. p. 1336.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

animum attendisset Heynius De fontibb. hist. Diodori. Bip. p. LXXXVI, eius de hoc scriptore decreta per manus tradita sunt usque ad Iul. Frid. Boettcherum, qui in Praefationibus libelli de rebus Syracusanis apud Livium et Plutarchum (Progr. Dresdae 1838) p. 14. omnium, quos equidem novi, primus [2]) rem iudicatam labefactare instituit. Nam etsi libellus de rebus Syracusanis ipse, quem in illa prolusione Boettcherus Dresdae et Lipsiae in libraria Arnoldiana mox proditurum indicaverat, vadimonium deseruisse videtur: illius quidem de Athana opinio non iam dubia potest esse. Ac Boettcherum quidem Heynio aliquanto certe consideratius de opere Athaneo iudicasse equidem non negaverim: sed, quod certaminis caput est, de primo Athanae libro veram unam eam habeo rationem, quam initam nunc denuo ab Heldio [3]) iam ante hos centum et viginti annos proposuerat Io. Frid. Conr. Retterus in dissertatione historico-chronologica de Sicula Dionysiorum tyrannide. Giessae (Litteris Mullerianis) 1726. p. 28. —

Num Heldius quam a Rettero factum accuratius rem suam tuitus sit ex Jahnii relatione cognosci nequit. At vero quum Heynii auctoritas non modo Goellero De situ et origine Syracusarum p. 16. not. sed in Parisina fragmentorum historicorum Graecorum collectione (Editore Ambrosio Firmin Didot. 1841) p. XLIX. etiam Carol. et Theod. Mulleris adeo imposuerit ut nulla iis dubitatio de Athana moveretur: Boettcheri opinio eo speciosior erit, quia sunt nimirum quae, nisi recte intellecta erunt, ipsi Retteri Heldiique sententiae non mediocriter adversari videantur. Quocirca ad eandem rem delatus ego iam omnem de Athana quaestionem una comprehensione complectendam et refutatis de illius libris historicis quum Heynii tum Boettcheri rationibus ex industria cavendum duxi ne iterum vera falsis obruantur. —

Ut autem ipso operis principio in totam regionem quam emensuri sumus prospectus aperiatur, initium sumam a loco Diodori Siculi XV. 94. extr. „*Τῶν δὲ συγγραφέων Ἀθάνας ὁ Συρακούσιος τῶν περὶ Δίωνα πράξεων ἐντεῦθεν* (Ol. CIV. 3: a. Chr. n. 362) *ἀρξάμενος ἔγραψε μὲν βίβλους τρισκαίδεκα, προσανέλαβε δὲ τὸν ἄγραφον χρόνον ἐτῶν ἑπτὰ ἀπὸ τῆς Φιλίστου συντάξεως ἐν μιᾷ βίβλῳ· καὶ διελθὼν τὰς πράξεις ἐν κεφαλαίοις συνεχῆ τὴν ἱστορίαν ἐπσοίηεν.*“

II. Ac primum quidem quod multis aliis accidit ut variato nomine in libris veterum circumferantur idem vel Athanae videtur accidisse. Quum enim hunc

---

[2]) De Heerenii erroribus vid. Goeller. De situ et origine Syracusarum p. 129.

[3]) Schoellii enim (Gesch. der Griech. Litteratur. Vers. Schwarzian. T. I. p. 347) aliorumque non numero tutum silentium. — Num Heldius Retteri dissertationem noverit nescio. Sed ego pervelim scire ob alias caussas num unquam exierit huius libelli pars altera, quam scriptam de Sicula Dionysiorum aula Retterus promittit in proemio p. 5.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

scriptorem praeter Diodorum commemorent Plutarchus Timol. c. 23. 5. c. 37. 5. et Athenaeus III. c. 54. p. 98. D, apud horum utrumque non Ἀθάνας scribitur sed Ἄθανις. Nam quod apud Plutarchum Athanis de rebus Timoleonteis ad testimonium vocatur, apud Athenaeum primus eius liber de Dionysii poesi: — ut non fuit adhuc ita haud facile quisquam erit qui in tanta rerum expositarum vicinitate hos auctores diversos habere aut inter ipsos aut a Diodori Athana sine caussa fas ducat. Huius enim ipsa nominis varietas quam nihil impediat quominus de eodem homine cogitetur sciunt qui norunt morem Graecorum, quibus, ut sagacissimus antiquitatis speculator ait, Chr. Aug. Lobeckius, Patholog. p. 204. „hanc licentiam consuetudo dedit ut nominum propriorum terminationes susque deque haberent."

Ac de forma Diodorea Ἀθάνας quum nulla unquam fuerit dubitatio, ita scribere nos quoque maluimus: quanquam, quae apud Plutarchum et Athenaeum legitur altera scriptoris nostri appellatio, suo loco non pelletur, nisi quis ultra libros sapere cum Boettchero ausus erit. Nam apud Athenaeum neque a Schweighaeusero neque a Dindorfio ulla enotatur scripturae varietas: de Plutarcho autem post Wesselingium ad Diod. XV. 94. n. 54. certiores nos facit Heldius Adnot. in vit. Timoleont. p. 442: „Codd. omnes Ἄθανις; Anon. (teste Xylandro vetus interpres) Ἀθάνης; Vulc. Ἄθωνις; Anton. Tudert. in versione: Uthanes." Secundum haec quum apud Plutarchum quoque recte typis exscribi videatur, quod et ipsius codices tuentur et Athenaei libri — Ἄθανις: tamen Boettcherum levis haec a Diodoro discrepantia adeo commovit ut, quam scribendi rationem cum Diodoro concinentem — Athanes pro Athana Ionice — et Anonymi dittographia commendabat et Xylandro, opinor, auctore litterati vetusti — Bonannus, Vossius, Mongitorius — usu susceperant, eam ut unice veram vel Chaeronensi servandam fuisse non dubitanter pronuntiaret. „Nam quod vulgo," ait, „etiam ab Heldio [4]) editur Ἄθανις, ex Itacismo, quem vocant, fluxisse apertum est." — Boettcherus ergo summam ὀνοματοθεσίας Graecae libertatem finibus circumscribere tam angustis molitur ut spreta Athenaei et Plutarchi codicum auctoritate in nostro exemplo nihil aliud usu venisse contendat nisi ut formae Diodoreae exitus Doriensis vocalis trope leniretur. Huc accedit quod in tali caussa itacismi omnis ista ratio tam anceps est et lubrica ut Lobeckius eam ne in illis quidem exemplis admiserit, quae terminationum ις et ης in nominibus Graecis creberrime mixtarum cumulavit Patholog. p. 504. n. 30. Sed ne longius abeam: equidem non dubito quin Diodorus dixerit Ἀθάνας, Plutarchus et Athenaeus Ἄθανις, quemadmodum Plato

[4]) Post hunc etiam a Carol. Sintenisio, cuius de Anonymi lectionibus iudicium vid. in Praefat. ad Plutarchi vitt. parallelas. Vol. I. p. XXVI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et Antiphanes (Meinek. I. p. 325) dixerunt *Θαμύρας*, Homerus, Euripides, Apollodorus, Pausanias *Θάμυρις*: praesertim quum ad eiusmodi dionymiam videatur induxisse vel diversorum nominum parilis conformatio: *Ἄλκας* — *Ἄλκις*, *Θήρας* — *Θῆρις*, *Θεύδας* — *Θεῦδις* (Lobeck. Pathol. p. 505), *Κάλλας* (Wessel. ad Diod. XVII. 7. n. 68. XIX. 35. n. 33. Lobeck. Pathol. p. 497. n. 19) — *Κάλλις*, *Μάρας* — *Μάρις*, *Μόλπας* — *Μόλπις*, *Νίκας* — *Νῖκις*, *Φίντας* — *Φίντις*, quorum nonnulla etiam triplici specie praedita sunt: *Ἀρέτας* — *Ἀρέτης* — *Ἄρετις*, *Ἀρίστας* — *Ἀρίστης* — *Ἄριστις*, *Πύθας* — *Πύθης* — *Πῦθις*, *Χρύσας* (fluvii Siciliensis nomen) — *Χρύσης* — *Χρῦσις*. Cf. Papii Lexic. onomatolog. ss. vv. — Verum tametsi nihil omnino usitatius fuit quam ut in *ας* exeuntia andronymica Dorica a scriptoribus non Doricis in *ης* flecterentur, nomen *Ἀθάνης* autem ipsum nullam dubitationem habet apud Diogen. Laert. V. 3. 62. in catalogo eorum, quos Strato Lampsacenus testamenti curatores constituisse dicitur: tamen eo minus caussae est ut Plutarcho pro Athani suo ista forma obtrudatur quo magis per se ipsa manum emendatricem prodere videtur. Hinc quum in historici Siculi nomine de terminationum *ας* et *ις* vicissitudine dubitari non iam possit, formam *Ἄθανις* Lobeckius, postquam agnovit in disputatione secunda de nominum Graecorum terminationibus epentheticis (die XII. Iunii 1840) p. 7, non memorat in pathologiae sermonis Graeci prolegomenis, nec in dissertatione quarta p. 185. nec adeo in undecima, ubi a nominibus primae declinationis in *ας* purum exeuntibus p. 500. sqq. ad nomina in *ις* propria digressio facta est uberrima. Sed de totius generis formatione satis a Lobeckio cautum ne liberrimi sermonis Graeci motus perversae disciplinae severitate nimis astringantur. Quod igitur Papius persuaderi sibi passus de eiusmodi nominum correptione quam vocant Dorica (Ahrens. De dialecto Dorica p. 233) in conspectu suo nominum propriorum (Lexic. onomatolog. p. 5) nomini *Ἄθανις* formam *Ἀθανίας*[5]) praestruxit, Lobeckius l. c. p. 501—503. nullam caussam esse demonstravit cur aut andronymica syllaba *ις* finita proprie Dorica habeantur aut omnino terminatio non pura purae subnata existimetur. Quam ob rem scriptor noster sine isto traduce ab ipsa *Ἀθάνα* ut Diodoro *Ἀθάνας* (Lobeck. Patholog. p. 497) ita Plutarcho et Athenaeo *Ἄθανις* nominatus videtur esse. —

III. Quod autem ad ipsam Athanae vitam attinet, in tanta eius ignoratione versamur ut, si ab hoc uno discesseris quod Diodorus l. c. Syracusanum illum appellat, prorsus nihil de eo pro certo possit affirmari. Neque igitur recte factum quod in definienda Athanae aetate Mongitorius l. c. Bonanni „coniecturis" plus tribuit quam circumspecto Vossii iudicio, a quo satis caute ille in historicis aeta-

---

[5]) Perhibetur hoc nomine Boeotus quidam Boeckh. Corp. inscr. n. 1577.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tis incertae numeratur. Nam haud facile quisquam ad liquidum confessumque perducet num recte Abrah. Berkelius ad historicum Syracusanum retulerit locum, quem e Theopompi Philippicis Stephanus Byzant. s. v. *Λύμη* verbis hisce reposuit: *Ὅθεν καὶ Θεόπομπος μ΄· „προστάται δὲ τῆς πόλεως ἦσαν τῶν μὲν Συρακοσίων Ἄθηνις καὶ Ἡρακλείδης, τῶν δὲ μισθοφόρων Ἀρχέλαος ὁ Λυμαῖος.“* Ac Lobeckius quidem attingens nomen *Ἄθηνις* Patholog. p. 505 et 524. a rerum Sicularum scriptore iudicare alienum videtur: quanquam quum parum offensionis habeat formae *Ἄθάνις* ad vulgare *Ἀθηνᾶς* nomen accommodatio[6]), equidem non omnino repudiandam censuerim Berkelii suspicionem. Temporis ratio certe non repugnat. Quum enim Theopompus per longam digressionem Philippicorum libris undequadragesimo, quadragesimo, quadragesimo primo[7]) res Dionysiorum comprehendisset, non dubitandum est quin, qui Theopompi loco apud Stephanum memoratur Heraclides, notissimus sit Dionis in bello contra Dionysium posteriorem gesto obtrectator atque adversarius (Pseudoplat. Ep. III. p. 318. C. 319. A. IV. p. 320. E. 321. B. VII. p. 348. B. C. D. 349. A. B. C. E. Diod. XVI. 6. extr. — Wessel. n. 49. — 16. 17. Plut. Dion. 32. 48. 49. 53. Corn. Nep. Dion. 5. 6. 7. Longin. de sublim. IV. 3. p. 14. Ed. Weisk.). Quodsi Athanas historicus illius Heraclidis socius fuit, quemadmodum Timonides Leucadius (Heeren. De fontibb. et auctorit. vitarum parall. Plutarchi p. 54. Westermann. Praefat. ad Ger. Io. Vossii de hist. Gr. libb. III. p. IX), litteris consignavit res, quarum testis oculatus partem haud exiguam ipse administraverat.

IV. Iam vero transeuntibus nobis ab Athana ipso ad opus eius historicum ante omnia videndum est ne diutius Heynii auctoritate laboret veritas. Etenim quum ante eum homines litterati satis habuissent, quae de Athana scriptore a Diodoro acceperant, iisdem fere verbis[8]) reddere: Heynius l. c. Diodorea ista in quadrum redigere conatus est. — „Exceperant Philistum,“ inquit, „Athanas Syracusanus, res Dionis libris XIII persecutus inde ab Olymp. CIV. 3. Debuit itaque ille descendere usque ad Olymp. CVI. 3, ut adeo res annorum fere novem

[6]) Ceterum Berkelius de huius nominis scriptura notat: „In MS. totus locus ita legebatur: *Προστάται δὲ τῆς πόλεως ἦσαν τῶν μὲν Συρακουσίων Ἀθάνις* (sic) *καὶ Ἡρακλείδης.*“ Utcunque se ea res habet: ab Atheni Syracusano discernendum esse Chium eiusdem nominis artificem, Bupali fratrem, Anthermi sive, ut Silligius scribere instituit, Archenni filium, hic iam non est quod pluribus moneamus.

[7]) Quatenus apud Diodorum XVI. 71. extr. in indicando librorum Theopompeorum numero erratum sit vid. apud R. H. Eysson. Wichers. De Theopompi vita et scriptis p. 28. 29. et apud Carol. et Theod. Mulleros in Parisina fragmentorum historicorum Graecorum collectione p. LXXII.

[8]) Unus est operis Athanei librorum numerus, in quo illi veteres et inter se discrepant et a nostris Diodori exemplaribus. Vid. n. 29.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(inde ab a. ante C. N. 362 ad an. 354) comprehenderet: idem praemiserat uno libro historiam a Philisto intactam VII annorum, ut adeo hic in computum non retulerit libros illos duo de Dionysii iunioris rebus; sed tantum maius illud opus historicum Philisti, quod in Dionysii senioris morte exierat, Ol. CIII. 1. ante C. N. 368, a quo annus septimus CIV. 362." Cf. Goeller. et Carol. et Theod. Mullerr. ll. cc. — In quibus quum duplex lata sit sententia, altera de operis Athanei exitu, altera de primo eius libro: harum sententiarum quamquam neutra probari omnino potest, tamen prius nobis de posteriore est dicendum. —

V. Ac primum quidem haud facile quisquam erit cui illud scrupulum non iniiciat quod in Philisti Siculis Heynius temporis spatium Diodoro intactum s. inscriptum — *ἄγραφον* — dici existimat, quod revera *ἄγραφον* non fuisse post ipsi confitendum est. Qui quidem scrupulus fortasse levior foret, si Philisti illos duos de Dionysio posteriore libros Diodoro ignotos fuisse ostenderetur. Verum enimvero quum Philistus, de cuius vita et reliquiis Francisc. Goellerus disseruit, in libro de situ et origine Syracusarum p. 103 — 176, rerum Sicularum unum maius condidisset corpus, in duas partes divisum, quarum altera septem libris plus octingentos annos complexa usque ad captum a Poenis Agrigentum (Ol. XCIII. 3: a. Chr. n. 406) pertinebat, altera ubi prior substiterat exorsa libris quattuor in illustrandis rebus Dionysii prioris versabatur (Diod. XIII. 103. Cf. Dionys. Halic. Ep. ad Cn. Pompeium c. 5. 1. Cic. ad Q. fr. II. 13. ad fin.); quumque scriptor idem praeter illud corpus volumen quoddam singulare confecisset librorum duorum, quibus Dionysii posterioris gesta per quinque annos deducebantur (Diod. XV. 89): nemo est veterum qui Diodoro accuratiorem exhibeat totius operis descriptionem; de illa autem duorum librorum *πραγματείᾳ*, quae ad Dionysium posteriorem spectabat, unus is solus est auctor cui in silentio ceterorum certiorem quandam[9]) eius rei notitiam debeamus (Goeller. l. c. p. 126. 128. Carol. et Theod. Mullerr. l. c. p. XLVIII. — Quod antem in talibus ultimum esse auxilium solet — bibliothecae historicae conditorem quum de Athana ageret sui ipsius oblitum fuisse — ne cogitari quidem potest. Posteaquam enim de duobus prio-

[9]) Memoratur liber *Σικελικῶν* Philisteorum *τρισκαιδέκατος* i. e. Dionysiacorum posteriorum secundus (Goeller. l. c. p. 128) apud Stephan. Byz. s. v. *Κραστός*: sed, nisi aliunde subventum foret, ista numeri nota non multo plus valeret quam quod in eiusdem Stephani exemplaribus s. v. *Νυκρία* liber Philisteus circumfertur, qui nullus iam erat, quintus decimus (Berkel ad h. l. n. 83. Goeller. l. c. p. 166). Illud vero mirari satis non possum quod Westermannus ad Ger. Io. Vossii de hist. Gr. lib. I. c. 6. p. 56. n 9. Philisti Dionysiaca, quorum Dionysius Halicarnassensis Ep. ad Cn. Pompeium c. 5. 1. et Cic. ad Q. fr. II. 13. ad fin. mentionem faciunt, contra quam usque ad hoc tempus plerisque omnibus visum est non ad Dionysium patrem sed filium referenda putavit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ribus operis Philistei partibus XIII. 103. med. ad hunc modum exposuit; „*Τῶν δὲ συγγραφέων Φίλιστος τὴν πρώτην σύνταξιν τῶν Σικελικῶν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν* (Ol. XCIII. 3: a. Chr. n. $40\frac{6}{5}$) *κατέστροφεν, εἰς τὴν Ἀκράγαντος ἅλωσιν, ἐν βιβλίοις ἑπτὰ διελθὼν χρόνον ἐτῶν πλείω τῶν ὀκτακοσίων· τῆς δὲ δευτέρας συντάξεως τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ τῆς προτέρας τελευτῆς πεποίηται, γέγραφε δὲ βίβλους τέσσαρας:*“ tertium illud de Dionysio posteriore volumen in eodem quo Athanam libro memorat, vix quinque ab hoc capitibus seiunctum. „*Φίλιστος,*“ ait XV. 89. extr., „*τὰ περὶ Διονύσιον τὸν νεώτερον ὧδε* (Ol. CIV. 2: a. Chr. n. $36\frac{3}{2}$) *κατέστροφε, διελθὼν ἔτη πέντε ἐν βίβλοις δυσίν*[10]). Haec igitur si quis reputaverit, illud profecto intelliget, nihil potuisse absurdius esse quam si Diodorus, quemadmodum putabat Heynius, quod tempus a Philisto opera singulari illustratum fuisse diserte pronunciaverat — idem iam huic scriptori inscriptum dicere non dubitasset.

VI. Huc accedit quod vel in computandis septem illis annis, quorum memoriam uno Athanas libro colligasse dicitur, rationis Heynianae pravitas in oculos incurrit. Nam de subducta a Diodoro septem annorum summa parum ille sollicitus id tantum agit ut annum, in quo Athanas rerum Dionearum principium posuerit, post Dionysii prioris obitum fuisse septimum demonstret. Quae quidem demonstratio eo minus valet quod — ubi rem ad veritatem revoces — septimus ille annus ad nihilum fere recidit. Nimirum ut solidum efficeretur *ἄγραφον* Philisti septuennium, praeter illud lustrum, quod ut explicatum Philisti Dionysiacis posterioribus Heynius a Diodoro „in computum non relatum“ autumabat, ex temporis spatio inter Dionysium priorem mortuum (Ol. CIII. 1) et res Dionis ab Athana inchoatas (Ol. CIV. 3) medio duo admodum alii exsculpendi erant anni. Quod quidem fieri non potuisse clarum est, nisi mortis Dionysianae tempus ad Olympiadis centesimae tertiae ipsum initium, rerum Dionearum in opere Athaneo principium ad Olympici sui anni ipsum exitum referretur.

Ol. CIII.	1	—	$36\frac{0}{7}$	a. Chr. n.
—	2	—	$36\frac{7}{6}$	—
—	3	—	$36\frac{6}{5}$	—
—	4	—	$36\frac{5}{4}$	—
Ol. CIV.	1	—	$36\frac{4}{3}$	—
—	2	—	$36\frac{3}{2}$	—
—	3	—	$36\frac{2}{1}$	—

Atque in constituendo rerum Dionearum apud Athanam principio Heynius

[10]) Haec ex Diodoro transscripsit auctor *ἀναγραφῆς Ὀλυμπιάδων* ad calcem Chronicorum Eusebii Ol. CIV. 2. p. 326. Ed. II. Scalig., apud Goeller. l. c. p. 126.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quidem non modo usque ad anni Olympici exitum sed ne ultra priorem eius partem videtur processisse. Exaequavit certe Ol. CIV. 3 cum anno a. Chr. n. 362. Ac profecto si forte Athanas ab anno Olympico ad finem vergente vel adeo exeunte res Dionis orsus fuisset, haud scio an Diodorus ex more suo (Vid. praeter alios Boeckh. Staatshaush. d. Athener T. II. p. 118 et F. R. C. Krebs. Lectt. Diodoreas p. 8) pro Olympiadis centesimae quartae anno tertio quartum fuerit positurus. — Hinc quum quaestio omnis redeat ad mortis Dionysianae tempus, spatium controversum vel sic ad sex annos cum dimidio extendi sane posset, si Dionysium priorem Olympiadis centesimae tertiae ipso initio e vita excessisse aut constaret aut sumi liceret. Atque Heynius quidem Ol. CIII. 1. ad annum a. Chr. n. 368 referens tyranni obitum anni Olympici si non initio at parti priori tribuisse censendus est: quanquam quum post factas cum Carthaginiensibus inita hieme indutias (Gu. Boetticher. Gesch. der Carthager p. 129) Athenis reportata tragica in Lenaeis victoria (Boeckh. Urkunden ueber das Seewesen des Att. Staates p. 28) voluptate nimia gestienti attulisse vitae finem perhibeatur (Diod. XV. 73. 74. c. Wessel. n. 46. Kayser Hist. crit. tragicor. Gr. p. 264), haud ambigue anni Olympici pars posterior videtur denotari (Clinton. Fast. Hellenic. Append. X). Nam πολυθρύλητος iste ἐπὶ Ληναίῳ ἀγῶν sive non diversus fuit aut a Dionysiis ruralibus (Posideon Ol. CIII. 1 = $\frac{\text{December 368}}{\text{Ianuarius 367}}$) aut ab Anthesteriis (Anthesterion Ol. CIII. 1 = $\frac{\text{Februarius}}{\text{Martius}}$ 367), sive recte eum Boeckhius [11]) separatim a reliquis Dionysiis Gamelione mense (Gamelion Ol. CIII. 1 = $\frac{\text{Ianuarius}}{\text{Februarius}}$ 367) celebratum esse defendit: morti Dionysianae in priore anni Olympici parte nullus iam locus relinquitur. Hac autem ratione plus quam semestri spatio de summa Heyniana deducto, anni septimi tantum abest ut quicquam etiam superet, ut prorsus integrum ne sexennium quidem retineri possit: ex quo nos frustra laboraturos fuisse emergit, si rerum Dionearum promoto antea in opere Athaneo principio tres quattuorve inde menses Heynio corrasissemus.

VII. Ne tamen in exagitandis istis erroribus iusto diutius haereamus, iam inita a Boettchero ratio certo iudicio ponderanda erit. Hic enim quum ab opinionis Heynianae perversitate tandem aliquando discedendum esse perspexisset, prima autem Siculorum Philisteorum σύνταξις quin omnibus suis numeris absoluta fuisset dubitari omnino non posset (Goeller. l. c. p. 126. 128. 129): quae sola relinqui videbantur — Dionysiaca Philisti priora ad finem non venisse posuit, ipsumque illud fuisse septem annorum spatium, quod a Philisto praetermissum

[11]) Fritzschium (De Lenaeis Atheniensium festo) cum Boeckhio ut in concordiam redigat operam dat L. Prellerus in Paulyi rerum antiquarum encyclopaedia T. II. p. 1060. Not. Cf. Theod. Bergk. Beitr. zur griech. Monatskunde p. 36.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

primo Athanas libro explendum suscepisset. Quod autem ex duodequadraginta tyrannidis Dionysianae annis operi Philisteo septem ipsos extremos abfuisse putavit, in re parum testata verisimilitudinis ratione ductus videtur esse. Quemadmodum enim libri confici solent, sine idonea caussa de alio septuennio ne licuit quidem cogitari.

VIII. Ac primum quidem quum Heyniana opinio eam maxime ob caussam spernenda videretur quod, quae Diodorus de inscripto operis Philistei septuennio memoriae prodidit, conciliari cum ea nullo modo potuerunt, hunc nobis scrupulum Boettcherus sine dubio exemit. Quanqum in Diodori verbis quaedam paulo aliter eum atque ab Heynio factum interpretari necesse erit.

Minoris momenti et ponderis est quod in hoc: „προσανέλαβε δὲ τὸν ἄγραφον χρόνον ἐτῶν ἑπτὰ ἀπὸ τῆς Φιλίστου συντάξεως" praepositio ἀπό, quum Heynio ipsum terminum videatur significasse: von-an, Boettchero iutellectu generaliore capienda erit: von-her.

Sed maxime dissidebit de eo quod Athanas „διελθὼν τὰς πράξεις ἐν κεφαλαίοις συνεχῆ τὴν ἱστορίαν" fecisse perhibetur. Nam quae Heynio putabatur ἱστορία, ea non item putari poterit Boettchero. Immo quum συνεχὴς dupliciter res possit dici, primum ἀπολύτως: continua, cohaerens, perpetua — οὐ διῃρημένη i. e. non interrupta s. intermissa: deinde ὡς πρός τι: connexa, contigua, proxime sequens — οὐ κεχωρισμένη i. e. non seiuncta s. separata: — Heynius, quippe qui primo Athanae libro ipsa posteriora Philisti Dionysiaca duntaxat retractata putaret, non potuit quin praeoptata posteriore vocabuli συνεχὴς significatione Diodori verba in eam sententiam acciperet, tanquam si Athanas suarum historiarum corpus isto quasi vinculo ad Philisti opus maius annexuisse diceretur. — At enim quae Boettcheri est de Philisti opere sententia, quum trium συντάξεων Philistearum duas priores ipsas sese excepisse, tertiam autem, quae ad Dionysium filium spectaret, septem annorum intercapedine a Dionysiacis prioribus disiunctam fuisse statuat: — Boettcherus igitur alteram vocabuli συνεχὴς significationem retineri et de Philisti ἱστορίᾳ cogitari volet. Nec iam quo evasurus sit obscurum. Nimirum primum Athanae librum pro commissura quadam fuisse, cuius demum interpositu Philistea rerum Sicularum narratio inde a Cocali Sicanorum regis temporibus usque ad sextum Dionysii posterioris annum filo perpetuo deducta esset visa. Sive ut Laurent. Rhodomanus Diodori locum interpretatus est: „Annorum tamen septem memoriam, quam Philistus intactam reliquit, libro uno comprehendit (Athanas): et res summatim recensens continuam historiae" — Philisteae scilicet — „seriem effecit."

IX. Hac fere ratione quum Diodori verbis Boettcherum sententiam suam accommodasse persuasum sit, demirari satis non possum quod silentio praeteriit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

locum, qui sub Athanidis nomine servatus ab Athenaeo, excitatus post Bonannum et Vossium ll. cc. a Palmerio iam Wesselingio ad Diod. XV. 94. n. 54. persuasit, „Athanam res maioris Dionysii primore Sicularum rerum libro obiter perstrinxisse et de poetico eius studio ineptisque verborum compositionibus quaedam admiscuisse.“ Sunt autem III. 54. p. 98. D. haec ipsa Athenaei verba: „Ἄθανις δ' ἐν πρώτῳ Σικελικῶν τὸν αὐτόν φησι Διονύσιον καὶ τὸν βοῦν γαρότον[12]) καλεῖν καὶ τὸν χοῖρον ἴακχον.“ Ac de hoc quidem Athanidis fragmento quae nostra sit sententia alius opportunior erit explicandi locus: sed quandoquidem Dionysium priorem haec ipsa arguunt famosa poetae regii scitamenta (Meinek. De Euphorionis vit. et scriptis p. 162 — 165.[13]) — Kayser. Histor. crit. tragicor. Graec. p. 271—275.[14])), Boettchero nihil optatius esse potuit quam ut quo dudum coniectura, eodem iam re ipsa deductus videretur.

X. Verum etiamsi, quae Diodorus de primo Athanae libro prodidit, sententiae Boettcherianae non omnino refragantur, suffragantur etiam — videntur certe suffragari, quae reposuit inde Athenaeus: tamen eo labat tota quod parum firmo nititur fundamento. Nam Philisti Dionysiaca priora imperfecta fuisse Boettcherus tantum abest ut certe efficiat, ut eorum sententiam impugnare satis habeat, qui Philisti Dionysiaca priora usque ad Dionysii prioris mortem perducta fuisse ex eo colligunt, quod scriptor ille huius tyranni funus cum ornatu rogi copiosius explicavisse dicatur (Goeller. l. c. p. 126. 127. 132. Carol. et Theod. Mullerr. l. c. p. XLVIII). Sed quum funeris illius splendorem, ut Timaeo materiem ad ornatum praebuit (Goeller. l. c. Frgm. XCV. p. 282. Foertsch. Quaestiones Tullianae (Progr. Numburgi. 1837) p. 1—5), sic a Philisto quoque celebratum esse duo maxime demonstrent loci: alter Plutarchi Pelopid. 34 init. „Ἐκείνων δὲ τῶν ταφῶν (Pelopidae) οὐ δοκοῦσιν ἕτεραι λαμπρότεραι γενέσθαι τοῖς τὸ λαμπρὸν οὐκ ἐν ἐλέφαντι καὶ χρυσῷ καὶ πορφύραις εἶναι νομίζουσιν, ὥςπερ Φίλιστός ὑμνῶν καὶ θαυμάζων τὴν Διονυσίου ταφήν, οἷον τραγῳδίας μεγάλης τῆς τυραννίδος ἐξόδιον θεατρικὸν γενομένην“ —; alter Theonis Progymn. c. 2. 11. p. 19. Ed. Heins. „ἔχομεν ... καὶ παρὰ Φιλίστῳ ... ἐν .. τῇ ιά (Finckh. ἑνδεκάτῃ) τὰ περὶ τήν ἐκφοράν (Dionysii) καὶ τῆς πυρᾶς τὴν ποικιλίαν:“ — Boettcherus summam difficultatem videtur declinasse, quum loci Theonei mentionem prorsus omitteret. Plutarchus enim ita rem narrat ut nihil sane impediat quominus Philistus, si Dionysii prioris vitam

[12]) Scripturam vulgarem a Meinekii suspicione defendit Lobeck. Aglaopham. T. II. p. 855. n. [dd].

[13]) De poesi tyrannica quid praebeat idem Histor. crit. comicor. Gr. p. 362, quum librum non ad manum habeam, recognoscere ipse non possum.

[14]) Haec qui legerit, probare non poterit quod uter Dionysius Athenaei loco dicatur dubitat etiam Gu. Dindorfius in indice Schweighaeuseriano s. v. Dionysius Siculus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aliqua de caussa perficere non potuerat, Dionysii posterioris res ab ipso patris funere exorsum arbitrere. Immo quum filii opera factum esset ut Dionysius pater tam magno apparatu efferretur, etiam propius ad veritatem videatur Philistum, postquam se ad res Dionysii posterioris contulit, tyranno tunc ipsum dominanti quam rebus humanis exemto aliquid inde gloriae ac famae quaesivisse. Apud Theonem autem obstat indicatus libri Philistei numerus. Nam si duarum partium, ex quibus maius Philisti opus constabat, libri historiarum Sicularum septem, Dionysiacorum priorum quattuor, ex veterum consuetudine continua serie numerantur (Goeller. l. c. p. 128): liber qui a Theone affertur undecimus ut totius huius corporis postremus ita Dionysiacorum priorum ipse est quartus. Quo perfugio Boettcherus ad excusationem usurus sit praesagit animus. Nimirum quoniam in libris veterum nihil reperiatur quod aut facilius corrumpi possit aut saepius corruptum sit quam numeri numerorumque notae: nos — in misero praesertim libelli Theonei cultu (Finckh.[15]) Prolegg. p. XV.) — illa scripturae repugnantia moveri haud omnino gravius debere quam quod ab eodem Theone manifesto numerorum vitio etiam Herodoti et Thucydidis laudentur libri (Finckh, ad Theon. c. 2. 4. p. 17. ibid. 11. p. 22. c. 4. 21. p. 52). — Verum enimvero nostrum libri Philistei numerum quum invitis libris[16]) mutare sine caussa idonea temerarium videatur: Philisti Dionysiaca priora ut pro imperfectis habeantur adeo nihil prorsus cogit ut hanc cogitationem, nisi opinione praeiudicata ductus esset, ne Boettcherus quidem ipse unquam fuerit suscepturus.

XI. Nam si a Theonis loco discesseris, quanqum Boettchero neminem veterum esse concedendum erit qui Philisti Dionysiaca priora exisse Dionysii prioris morte aiat: hoc tamen quam leve sit per se ipsum intelligitur. Certe quum Dionysiaca priora perfecta esse multo minus attineret dicere quam si perfecta non fuissent: translaticiae potius de Philisto existimationi favere videatur quod ea de re altum est apud scriptores silentium. Scilicet non vereor ne quis contra me pro Boettchero utatur Dionysii Halicarnassensis loco, qui in Vett. scriptt. cens. Ed. Reisk. T. V. p. 427. ad hunc modum legitur, incertissimo: „*Φίλιστος δὲ μιμητής ἐστι Θουκυδίδου ..... Ἐζήλωκε δὲ πρῶτον μὲν τὸ τὴν ὑπόθεσιν ἀτελῆ καταλιπεῖν τὸν αὐτὸν ἐκείνῳ τρόπον· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὴν ἀταξίαν αὐτοῦ τῆς οἰκονομίας, καὶ δυσπαρακολούθητον τὴν πραγματείαν τῇ συγχύσει τῶν εἰρημένων*

[15]) Post hunc de violenta totius operis *διασκευῇ* dixit Kampius in Novis annalibus philolog. et paedagog. a Io. Christ. Jahnio et Reinh. Klotzio editis. Supplementt. T. XI. Fasc. II. (Aug. 1845) p. 233—255.

[16]) Certe censor progymnasmatum Theoneorum doctissimus et maxime sobrius, Chph. Eberh. Finckhius, pro notis, quibus numerus undenarius antea in Edd. exprimi solebat, ipsum vocabulum ascivit p. 22.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

πεποίηκεν." Posteaquam enim quum Franc. Sevin. Recherches sur la vie et les écrits de Philiste in Mém. de l'acad. des inscriptions et belles-lettres T. XIII. p. 16. tum Goellerus l. c. p. 127, quae apud Dionysium Halicarnassensem de argumento imperfecto reperiuntur, ad Philisti Dionysiaca posteriora trahere pro se quisque conati sunt: C. Gu. Kruegero eruditissimo rhetoris Halicarnassensis existimatori in Dionys. Halic. Historiographicis p. 46. lectio vulgaris tam absurda visa est ut corruptelam suspicatus pro „τὸ τὴν ὑπόθεσιν ἀτελῆ καταλιπεῖν" fuisse scriptum putaret „ἀφελῆ ἐκλέγειν." Quo magis subit mirari quod novissimi fragmentorum Philisteorum editores, Carol. et Theod. Mulleri, Seviniana fere sententia contenti p. XLIX.[17]) Kruegeri nullam rationem habuerunt, quanquam eius gravissimae videntur dubitationis caussae. „Nam cum ineptum sit credere," ait, „historicum de industria opus suum non absolvisse, tum longe ineptius est, hanc primam eius cum Thucydide similitudinis notam ponere, cum potius de argumenti, quod elegerit, natura dicendum fuisse videatur. Nam de ἐκλογῇ ὑποθέσεως semper primo loco disputat Noster. Cf. Ep. ad Cn. Pompeium 3, 4. De Thucydide iudicium 6, 1. 2." — Hinc quoniam scriptura vulgaris vix ferenda videtur esse: Kruegeriana loci suspecti emendatio non modo facilitate commendatur sed etiam rei ipsius convenientia. Quum enim iam H. Stephanus T. V. p. 418. Ed. Reisk. de Dionysiana vett. scriptt. censura observaverit, „eadem in hoc libello de multis scriptoribus dicta reperiri, quae alibi apud ipsum Dionysium; nullumque esse inter haec atque illa discrimen, nisi quod, quae hic breviter perstringantur, fusius illic tractentur," ea de re autem uberius dixerit Alb. Ger. Becker. in Dionys. von Halicarnassos ueb. die Rednergewalt des Demosthenes p. XVII. sq.: — unde ad nostrum locum Kruegerus descendit, Ep. ad Cn. Pompeium c. 5. p. 780, habetur quidem accuratior ac plenior Philisti cum Thucydide collatio, nec tamen ulla aut ibi iniicitur aut usquam alibi relictae a scriptore Syracusano ἀτελοῦς ὑποθέσεως mentio. Quod autem ad argumenti simplicitatem attinet, quum omnino Dionysius Halicarnassensis Thucydidem infinitae Herodoti varietati opponere consuerit (Ep. ad Cn. Pompeium c. 3. 3. p. 767. De Thucydide iudicium c. 5. 5. 6. c. 6. 1. p. 821), loco supra prolato, Ep. ad Cn. Pompeium c. 5. 1. p. 780, Philistus cum Thucydide iccirco potissimum comparatur quod et ipse „ὑπόθεσιν εἴληφε" non „πολυωφελῆ καὶ κοινὴν" sed „μίαν καὶ ταύτην τοπικήν."

XII. Iam vero quum propositae de operis Philistei defectu opinioni apud

[17]) „Dionysii iunioris historiam," inquiunt, „ne ipse Philistus ulterius prosequeretur, nec fortasse illis ipsis, quae iam composuerat, summam manum admoveret, morte impeditus est. Quod ei ridicule sane crimini vertit Dionys. Hal. tom. V, p. 427. ed. Reisk." — Dionysii Halicarnassensis vox certe minus fatua videretur, si eam ad Dionysii posterioris priorem tyrannidem restrinxissent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

scriptores veteres nihil admodum respondeat, Theonis autem libri undecimi significatio vel contra niti videatur: profecto Boettcherus Philistum, quam Dionysiacorum priorum partem omiserit, omisisse exsulem dicens stationem parum validam invalidiore etiam tueri molitur praesidio. Equidem certe haec quomodo apta inter se et cohaerentia aut sint aut esse possint non reperio. Quanquam quum adhuc nemo satis accurate excusserit, quae de Philisti exsilio feruntur testimonia: hic inde, quae ad rem nostram pertinere videbuntur, denuo cognoscenda erunt. Ac Plutarchus quidem Dion. 11. extr. „Ὁ γὰρ δὴ Φίλιστος" ait „ἐξ ἀρχῆς τε τῇ τυραννίδι καθισταμένῃ προθυμότατον ἑαυτὸν παρέσχε καὶ τὴν ἄκραν διεφύλαξε φρουραρχῶν ἐπὶ πολὺν χρόνον. Ἦν δὲ λόγος, ὡς καὶ τῇ μητρὶ πλησιάζοι τοῦ πρεσβυτέρου Διονυσίου, τοῦ τυράννου μὴ παντάπασιν ἀγνοοῦντος. Ἐπεὶ δὲ Λεπτίνης ἐκ γυναικὸς, ἣν διαφθείρας ἑτέρῳ συνοικοῦσαν ἔσχε, γενομένων αὐτῷ δυοῖν θυγατέρων, τὴν ἑτέραν ἔδωκε Φιλίστῳ μηδὲ φράσας πρὸς Διονύσιον· ὀργισθεὶς ἐκεῖνος τὴν μὲν γυναῖκα τοῦ Λεπτίνου δήσας (ita Cod. Monac. pro δείσας) ἐν πέδαις καθεῖρξε, τὸν δὲ Φίλιστον ἐξήλασε Σικελίας, φυγόντα παρὰ ξένους τινὰς εἰς τὸν Ἀδρίαν· ὅπου καὶ δοκεῖ τὰ πλεῖστα συνθεῖναι τῆς ἱστορίας σχολάζων. Οὐ γὰρ ἐπανῆλθε τοῦ πρεσβυτέρου ζῶντος, ἀλλὰ μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν, ὥσπερ εἴρηται, κατήγαγεν αὐτὸν ὁ πρὸς Δίωνα τῶν ἄλλων φθόνος, ὡς αὐτοῖς τε μᾶλλον ἐπιτήδειον ὄντα καὶ τῇ τυραννίδι βεβαιότερον." Plutarcho accedit Cornelius Nepos Dion. c. 3. 1. 2. „Quumque Dion non desisteret obsecrare Dionysium, ut Platonem Athenis arcesseret et eius consiliis uteretur, illa, qui in aliqua re vellet patrem imitari, morem ei gessit. Eodemque tempore Philistum historicum Syracusas reduxit, hominem amicum non magis tyranno quam tyrannidi. Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de historicis [Graecis] conscriptus est." Verum ab iis dissentit Diodorus Siculus XV. 7. med. „Ὁ δὲ Διονύσιος ἀκούσας τὴν τῶν ποιημάτων καταφρόνησιν ἐνέπεσεν εἰς ὑπερβολὴν λύπης. Ἀεὶ δὲ μᾶλλον τοῦ πάθους ἐπίτασιν λαμβάνοντος μανιώδης διάθεσις κατέσχε τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, καὶ φθονεῖν αὐτῷ φάσκων ἅπαντας, τοὺς φίλους ὑπώπτευεν ὡς ἐπιβουλεύοντας· καὶ πέρας ἐπὶ τοσοῦτο προῆλθε λυπῆς καὶ παρακοπῆς, ὥστε τῶν φίλων πολλοὺς μὲν ἐπὶ ψευδέσιν αἰτίαις ἀνελεῖν, οὐκ ὀλίγους δὲ καὶ ἐφυγάδευσεν. Ἐν οἷς ἦν Φίλιστος καὶ Λεπτίνης ὁ ἀδελφὸς, ἄνδρες διαφέροντες ἀνδρείᾳ, καὶ πολλὰς καὶ μεγάλας χρείας ἐν τοῖς πολέμοις αὐτῷ παρεσχημένοι. Οὗτοι μὲν οὖν φυγόντες εἰς Θουρίους τῆς Ἰταλιάς καὶ παρὰ τοῖς Ἰταλιώταις μεγάλης ἀποδοχῆς τυγχάνοντες ὕστερον δεηθέντος τοῦ Διονυσίου διηλλάγησαν καὶ κατελθόντες εἰς τὰς Συρακούσας εἰς τὴν προϋπάρξασαν εὔνοιαν κατεστάθησαν· ὁ δὲ Λεπτίνης ἔγημε τὴν Διονυσίου θυγατέρα. Ταῦτα μὲν οὖν ἐπράχθη κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτόν" (Archonte Mystichide; Ol. XCVIII. 3: a. Chr. n. 388). Ac primum

quod in synopsi chronologica Goellerus l. c. p. 310. Philistum secundum Diodorum Ol. XCVIII. 3: a. Chr. n. 385[18]), secundum Timonidem Ol. CIII. 1: a. Chr. n. 367 a Dionysio priore eiectum ponit: huius opinionis vanitatem iam a Boettchero l. c. reperio castigatam. Quum enim Plutarchus Timonidis testimonio de Philisti morte utatur Dion. 35, ubi de Philisti exsilio agitur, nec Timonidis ipsius nec cuius auctor nominatur temporum notationis ulla aut vola aut vestigium apparet: Diodori autem tota ea est narratio ut, etiamsi Philistum Leptinemque Ol. XCVIII. 3: a. Chr. n. 38$\frac{6}{5}$ et exterminatos esse et revocatos scribit, res tamen omnis redeat ad coniecturam. Nam ille posteaquam XV. 6 et 7. generatim atque universe de studiis poeticis locutus est, in quibus factum Ol. XCVII. 1: a. Chr. n. 392 per pacem Punicam otium Dionysius prior consumpserit: narrat deinde quam aegre tyrannus Philoxeni Platonisque reprehensionem tulerit quoque furore etiam in proximos inter eosque in Leptinem fratrem et Philistum familiarem saevierit, ex quo carmina eius Olympiae turpiter ceciderint. Sed quanquam Diodorus hunc casum sub Ol. XCVIII. 3: a. Chr. n. 38$\frac{6}{5}$ accuratius persecutus est — quum in quinquennali ludorum Olympiorum celebratione vel pessimi poetae carmina per Olympiadem non possent cadere nisi — semel[19]): Dionysii prioris ista ignominia, etiamsi suo loco (XIV. 109. Wessel. n. 89 et 3) a Diodoro diserte non esset praemonitum, a nobis referri non posset nisi ad annum, quo eius Olympiadis solennia agitata erant, ad Ol. XCVIII. 1: a. Chr. n. 388 (Kayser. Hist. crit. tragicor. Gr. p. 263). Ac Plutarchus quidem pro irato percitoque tyranni animo ut certiorem ita probabiliorem affert Philisti Leptinisque[20]) relegationis caussam. Sed quoniam ex Diodoro illud saltem colligendum videtur, Dionysii iram, quum Leptinis et Philisti collusio detegeretur, nondum defervisse: bibliothecae historicae conditor, nisi forte is animi ardor per biennium tenuit, parum verisimili ratione viros illos non ante Ol. XCVIII. 3: a. Chr. n. 38$\frac{6}{5}$ in exsilium actos fecit. Nam qui Diodori mos est ut ad servandam narrationis perpetuitatem iuxta ponat re nexa, temporibus discreta (Cf. praeter alios — Franc. Winiewskium, C. Gu. Kruegerum,

---

[18]) Is enim Diodori annus est: non, quem falso in tabulas retulit Goellerus, sequens.

[19]) Hoc moneo propter Gu. Schweckendieckium, cui accidit ut in dissertatione sua De Dionysio priori Siculorum tyranno. Gottingae 1832. p. 47. sq. per unam Olympiadem nonagesimam octavam bis regium poetam Olympiae (a. 1: a. Chr. n. 386 et a. 3: a. Chr. n. 384) derisum Graecis narraret.

[20]) De Leptine vid Casaub. (post Polyb. p. 1657) et I. Conr. Orell. ad Aeneae Tactici Poliorcet. c. 10, Wessel. ad Diod. XIV. 48. n. 45. 102. n. 75: quanquam quatenus Himeraeum illius exsilium, de quo Aeneas loquitur, ad nostrum tempus spectet equidem in ambiguo relinquo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

C. Georg. Boehneckium — Beni. Gotth. Weisk. De hyperbole errorum in historia Philippi genitrice P. III. p. 10. n. 7. p. 19. n. 14): Philistum Leptinemque quo anno in patriam reductos, eodem item exsilio affectos videtur retulisse. Ac Leptinem quidem, ut qui recrudescente bello Punico Ol. XCIX. 2: a. Chr. n. 383 in proelio ad Cronium commisso caderet (Diod. XV. 17. init. Aelian. V. H. XIII. 45. Intpp. Plut. de Alex. s. virt. s. fort. Or. II. 5. p. 738. B. Ed. stereot. T. II. p. 411) re vera circa illud tempus domum revocatum putem; de Philisti autem reditu ad Diod. XV. 7. n. 78. iam Wesselingius dubitavit. Nam Diodori testimonium contra Plutarchi et Corn. Nepotis auctoritates eo minus stabit quo proclivior erat, levi praesertim scriptori, error ut quos simul e civitate pulsos, eosdem simul esse in patriam reductos scriberet. Quocirca quamdiu Leptines exsulabat, Philistus habitasse una cum eo videtur, ut Diodorus ait, Thuriis [21]): qua in urbe domus fuisse quae hospitibus Syracusanis paterent neutiquam est cur diffidamus (Schiller. De rebb. Thuriorum p. 35). Posteaquam autem Leptines Syracusas rediit, Philistus relictus in exsilio solus sedem ac domicilium subinde mutasse videtur. Nam praeter hospitium Hadrianum Plutarchus Epirum [22]) quoque momorat de exsil. c. 14. p. 637. Ed. stereot. T. IV. p. 133. „*Καὶ γὰρ τοῖς παλαιοῖς (ὡς ἔοικεν) αἱ Μοῦσαι τὰ κάλλιστα τῶν συνταγμάτων καὶ δυκιμώτατα φυγὴν λαβοῦσαι συνεργὸν ἐπετέλεσαν. Θουκυδίδης Ἀθηναῖος συνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων ἐν Θράκῃ περὶ τὴν Σκαπτὴν ὕλην· Ξενοφῶν ἐν Σκιλλοῦντι τῆς Ἠλείας· Φίλιστος ἐν Ἠπείρῳ κ. τ. λ.*“ — Neque unquam tamen Philisto fuisse aut studium tyrannidis (Goeller. l. c. p. 124. Krueger. ad Dionys. Halic. Historiographica p. 47) depositum aut spem reditus ereptam ex Pausania apparet I. c. 14. 1. „*Διάφορα δὲ ὅμως ἐστὶ καὶ ταῦτα, ὡς Ἱερώνυμος ὁ Καρδιανὸς ἔγραψεν· ἀνδρὶ γὰρ βασιλεῖ συνόντα ἀνάγκη πᾶσα ἐς χάριν συγγράφειν. Εἰ δὲ καὶ Φίλιστος αἰτίαν δικαίαν εἴληφεν, ἐπελπίζων τὴν ἐν Συρακούσαις κάθοδον, ἀποκρύψασθαι τῶν Διονυσίου τὰ ἀνοσιώτατα, ἤ που πολλή γε Ἱερωνύμῳ συγγνώμη τὰ ἐς ἡδο-*

[21]) Ad quam quidem exsilii societatem etiam illud referendum videtur, quod Philisto crimini dat Plutarchus Timol. 15. sub fin. „*Ὥστε μοι παραβάλλοντι τούτοις*“ (laudat enim Dionysii posterioris, quum regno expulsus Corinthi degeret, firmum ac constantem animum) *τὰς Φιλίστου φωνὰς, ἃς ἀφίησι περὶ τῶν Λεπτίνου θυγατέρων ὀλοφυρόμενος, ὡς ἐκ μεγάλων ἀγαθῶν τῶν τῆς τυραννίδος εἰς ταπεινὴν ἀφιγμένων διαιταν, φαίνεσθαι θρήνους γυναικὸς ἀλαβάστρους καὶ πορφύρας καὶ χρυσία ποθούσης.*

[22]) Fortasse Alcetae I Epirotarum regi ex eo tempore, quo domo extorris Syracusis degerat (Diod. XV. 13. init.), vetus quaedam cum Philisto consuetudo intercessit. Hunc certe Molossum ab amicitiae officiis non alienum fuisse in Timotheum Atheniensem praeclarum exstat documentum Demosth. c. Timoth. 22. p. 1190. extr. Cf. Diod. XV. 36.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

νὴν Ἀντιγόνου γράφειν[23]). Ac Philisti quidem quo fallaciores fuisse de Dionysio patre spes Plutarchus et Corn. Nepos docent, hoc eae videntur ad exitum venisse citius, postquam Dionysius filius rerum potitus est. Platonem enim quum paulo post Dionysii prioris mortem — Ol. CIII. $\frac{1}{2}$: a. Chr. n. 367 — Syracusas venisse constet, eodem autem tempore Philistus accitus a Platonis inimicis in Siciliam dicatur (C. F. Hermann. Gesch. und System der Platon. Philos. T. I. p. 65. Brandis. Handbuch der Gesch. der Griechisch-Roem. Philos. T. II. P. I. p. 145. not. ii): vix dubitandum erit quin hic et ipse primo recentis tyrannidis anno in patriam redierit.[24])

Sed tempus est ut a Philisti exsilio ad libros eius faciamus gradum. Illud enim quatenus in caussa Boettcheriana nullius momenti sit iam satis videtur res pro se ipsa loqui. Nam Boettcheri quidem argumentum ita tantum aliquid ponderis haberet, si aut exsilii Philistei spatium arctioribus terminis circumscripsisset aut Diodorum, ubi operis Philistei defectum memoret, pro septem annis maiorem posuisse numerum e codicibus effecisset. At vero quoniam Philisti exsilium inde ab Ol. $\frac{\text{XCVIII. 1}}{\text{XCVIII. 3}}$ a. Chr. n. $\frac{38\frac{8}{9}}{38\frac{6}{9}}$ usque ad Ol. CIII. $\frac{1}{2}$: a. Chr. n. 367 annos explevisse videtur viginti aut viginti unum, si minimnm ponas, duodeviginti, tempus autem, quod Philistus in opere suo omisisse dicitur, exsilii Philistei pars quidem fuit — sed pars extrema tantum, annorum, ut est in Diodori exemplaribus, non plus omnino septem: — illud saltem vel Boettchero concedendum erit, Dionysiaca Philisti priora, inde ab Ol. XCIII. 3: a. Chr. n. $40\frac{5}{9}$ usque ad Ol. CI. 2: a Chr. n. 374 perducta, quattuordecim aut tredecim, si minimum ponas, undecim complexura fuisse annos, quos scriptori illi in exsilio transactos constet. Ac Philistum exsulem, quaecunque Syracusis gererentur, edoctum fuisse vel ex eo licet coniici quod, in quibus regionibus domicilium collocaverat, commercia Syracusana tunc ipsum viguisse notum est (Schweckendieck. De Dionysio priori p. 41 — 44). Quapropter, etiamsi de imperfectis Philisti Dionysiacis prioribus conveniret inter omnes, quod in lustris plus quam duobus nullam fecerat scribendi moram — exsilium, omnino esse impedimento non potuit quominus Philistus, si non exsul at redux, antequam res Dionysii filii aggrederetur, Dionysii patris quod restabat septuennium coepto operi subiungeret.

---

23) De Marcellini loco (Vit. Thucydid. 27): „Φίλιστος δὲ τῷ νέῳ Διονυσίῳ τοῖς λόγοις πολεμεῖ“ vid. Goeller. l. c. p. 118 sqq. Ceterum Poppo coniecit βοηθεῖ, Grauert. συμπολεμεῖ. Cf. Goeller. Thucyd. Ed. II. Vol. I. p. 65.

24) In his temporum angustiis qua Goellerus l. c. p. 119. ratione Philistum „ut exilio reditum sibi pararet, Dionysio iuniori potius palpavisse“ ex Pausania eruerit, exputari omnino non posset, nisi eum ex ficta Timonidis auctoritate Philisti relegationem usque ad ipsum Dionysii prioris obitum promovisse iam supra rescissemus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XIII. Ac de Boettchero quidem plura dicere nolo: Huius enim caussam quum male omnino obtineri clarum sit, nisi Philistum septem extremos Dionysii prioris annos silentio transmisisse efficias, hoc autem non modo effici nequeat sed ne ad verisimilitudinis quidem speciem adduci: opinionis illius patrocinium nemo iam, credo, suscipiet, si, quas difficultates habere videtur ab I. C. Heldio repetita Io. Frid. Conrad. Retteri sententia, eas haud magno negotio removeri posse demonstratum erit. Nimirum quoniam Diodorus Siculus l. c. Athanam Dionis res ab Ol. CIV. 3: a. Chr. n. 362 orsum scripsisse libros tredecim narrat. assumpsisse autem inscriptum septem annorum tempus a Philisti opere libro uno; et persecutum res summatim continuam fecisse historiam: Retterus et Heldius ultra Ol. CIV. 3: a. Chr. n. 362 non omnino progrediendum rati Philisti inscriptum illud Diodoro fuisse septuennium censent, quod, quum Philistus Dionysiaca sua posteriora Ol. CIV. 2: a. Chr. n. 362 finivisset, Dionysii posterioris prioris tyrannidis extremum, inde ab illo tempore usque ad Ol. CVI. 2: a. Chr. n. 355 i. e. inde a Philisti Dionysiacorum posteriorum exitu usque ad susceptam a Dione rerum Syracusanarum administrationem supplendum Athanae relinqueretur.

XIV. Iam quod Diodorus, postquam Philisti Dionysiaca posteriora Ol. CIV. 2 terminavit, opus Athaneum ab Ol. CIV. 3 initium cepisse scribit, id certe non impedit quominus hac ipsa parte Athanas „continuam fecisse historiam" putetur. Nempe Philisti Dionysiaca posteriora non dubitandum est quin totum fere occupaverint Olympicum quo exierunt annum. Quum enim Lenaea Athenis circa Gamelionem medium,[25]) nostri anni Februarium ineuntem, celebrata esse verisimillimum videatur: recordantibus nobis nuncii Atheniensis cursum maritimum, agitatos Syracusis ob partam victoriam dies festos,[26]) denique contractum inde mortiferum tyranni morbum[27]) — Diod. XV. 74. Intpp. — ipse Dionysii prioris obi-

---

[25]) Hoc inde colligi notum est, quod in vetere sacrificiorum indice (Boeckh. Corp. inscr. nr. 523) undevicesimo Gamelionis diei *κιττώσεις Διονύσου* assignantur.

[26]) Quod haec Bacchanalia per nonaginta dies tenuisse vel Frid. Chph. Schlosserus (Universalhistor. Uebersicht d. Gesch. d. alt. Welt und ihrer Cultur. I. 3. p. 19) auctor est, illud quidem errore factum ut a Dionysio filio ad patrem transferretur (Athen. X. 47. p. 435. C. Cf. F. Neumann. Aristotelis Rerumpubl. reliqq. p. 150).

[27]) Etenim quum morbo perisse Dionysium priorem testes habeamus Diodor. XV. 74, Plutarchum Dion. 6, Cornelium Nepotem Dion. 2. extr.: ut e Cicerone de nat. deor. III. c. 35. 84. ita ex Plinio H. N. VII. 58. nihil aliud sequitur nisi non diuturnum fuisse eum morbum. Quod quidem eo magis videtur ad veritatem, si — id quod non modo Justinus XX. 5. extr. et Cornelius Nepos l. c. sed nominato Timaeo auctore (Goeller. l. c. Frgm. XCIII. p. 281) etiam Plutarchus l. c. narrat — medici dato sopore valentiore tyranni fata anteverterunt. Cf. Senec. Epist. LXVI . . . . . „alterius continuata mors somno est."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tus in Ol. CIII. 1. partem non modo posteriorem sed postremam fere protrudendus erit, si minimum ponas, in Anthesterionem exeuntem, nostri anni Martium fere medium. Si vero Dionysius prior sub anni Olympici exitum mortuus erat, iam fieri non potuit aliter quam ut Philisti Dionysiaca posteriora, proximum deinceps complexa Dionysii filii quinquennium, anno Ol. CIV. secundo ad exitum vergente et ipsa finirentur.

XV. Quae quum ita sint, aliquanto gravius videatur quod Rettero et Heldio primus Athanae liber usque ad Ol. CVI. 2: a. Chr. n. 355 extendendus erat. Videlicet quaeri possit quomodo factum sit ut, quum Dio bellum contra Dionysium posteriorem Ol. CV. 4: a. Chr. n. 357 summa aestate suscepisset (Diod. XVI. 9. Plut. Dion. 23), Athanas hoc biennium a maiore corpore disiungeret. Sed hac de re quid statuendum sit quum pendeat ex illa superiore quaestione quo anno Dionysii posterioris prior tyrannis exierit: Plutarchus eius decem annos numerans Timol. c. 13. 5. sine dubio finem ille quidem in Ol. CV. 4: a. Chr. n. 357 posuit; Dionis adventu enim tyrannum exutum imperio rebatur. At vero Diodorus aliam rationem nobis ineundam esse docet. Quum enim cessisse Syracusis Ol. CVI. 1: a. Chr. n. 35$\frac{6}{5}$ demum et Dionysium ipsum narret (XVI. 17. Cf. Plut. Dion. 37. Iustin. XXI. 2) et militum mercenariorum, quibus Apollocrates tyranni filius (Perizon. ad Aelian. V. H. II. 41. 2) praefuit (Plut. Dion. 37. 50. Corn. Nep. Dion. 5. extr.), relictum in arce praesidium (Diod. XVI. 20): rectissime[28]) Wesselingius n. 29. ad solam priorem retulit tyrannidem, quod de duodecim dominationis annis scriptum legitur apud eundem XV. 73. extr. „τὴν δὲ ἀρχὴν διαδεξάμενος ὁ υἱὸς Διονύσιος ἐτυράννευσεν ἔτη δώδεκα.“ — Diodorus ergo istam funditus tyrannidem non multo ante Ol. CVI. 2: a. Chr. n. 355 eversam esse putat. Hoc autem confirmato et stabilito non modo non mirum erit, sed tulisse res ipsa videbitur ut semel persecuturus Philisti Dionysiaca posteriora Athanas ante hunc terminum insistere omnino nollet.

XVI. Verum de re ipsa etiamsi nobis propemodum concessum erit, tamen vereor ne cui scrupulus restare adhuc in Diodori verbis videatur. Nam interpretatio nostra ita tantum nihil dubitationis haberet, si ille, quae de Athana retulit, non sub Ol. CIV. 3: a. Chr. n. 362 retulisset, sed potius sub Ol. CVI. 1: a. Chr. n. 35$\frac{6}{5}$, ut certum locum ponam, XVI. 20 extr. — Ut nunc res se habet, assumptum reperitur dici, quod positum intra eum terminum erat, a quo Diodorus opus Athaneum deductum fuisse scripserat. Sed haec difficultas expedita erit, si modo

[28]) Neque enim — quod pace tanti viri dixerim — aut Ios. Scaligerus audiendus est in Animad. ad Euseb. p. 124. aut adeo Ern. Ad. Salomon. De Platonis quae vulgo feruntur epistolis (Progr. Berolin. 1835) p. 12, de cuius perversis hac in re rationibus alio loco accuratius nobis anquirendum erit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

non tam omnino Athanas quid scripserit et quid assumpserit quam tredecim libris quid scripserit et horum uno quid assumpserit opponi sibi statuamus. Quum enim Dionysii posterioris tyrannis prior ante Ol. CVI. 2: a. Chr. n. 355 exstincta ac deleta nec esset fere nec putaretur: Diodorus, siquidem Athanas, priusquam ad Dionis reipublicae procurationem accederet, temporis Dionysiani quod Philistus nondum attigerat septuennium, operi suo praestruxerat, hoc alienae ditionis apud rerum Dionearum scriptorem videtur adeo habuisse ut non iam quid assumpserit sed id quomodo explicandum sibi duceret. „E scriptorum autem numero Athanas Syracusanus orsus res Dionis ab Ol. CIV. 3: a. Chr. n. 362 scripsit libros tredecim, [hinc autem ordienti quod assumendum erat] inscriptum septem annorum tempus a Philisti opere assumpsit uno libro: et persecutus res summatim continuam fecit historiam."

XVII. His expositis quum explicatius unicum de primo Athanae libro testimonium cum Retteri Heldiique sententia optime convenire pateat: iam illa quidem prae Heyniana et Boettcheriana opinione ita se et simplicitate et facilitate commendat ut non multum ei fore ab Athenaei loco periculi videatur, quo Athanidis librum primum de rebus Dionysii prioris in medium prolatum scimus. Ex hoc enim frusto vel potius frustulo prorsus nihil ego colligendum existimo. Quid scilicet de Dionysio priore refert apud Athenaeum Athanis? Ampullarum istarum, quas poetam regium proiecisse constat, pauca quaedam specimina. — Talia autem per digressionem narrari potuisse de patre, ubi proprie ageretur de filio: quis neget praesertim in opere, cuius ceterus habitus ignoratur totus?

XVIII. Sed haec quidem hactenus: nunc ad operis Athanei partem reliquam veniamus, cuius ut Heynius et Boettcherus Ol. CIV. 3: a. Chr. n. 362 initium fecerunt ita nos Ol. CVI. 2: a. Chr. n. 355 facimus. Praeterea illud quoque ex diversa verborum Diodoreorum interpretatione sequitur ut, quum praeter operis Philistei supplementum et ab Heynio et a Boettchero Athanae decem et tres [29]) numerentur libri, nos ad totidem libros opus universum redigamus: ita ut Athanae corpus maius ex duodecim tantum libris constitisse persuasum habeamus.

Iam hoc unum restat ut per quae tempora et quem ad finem duodecim illi libri deducti fuerint indicare experiamur. Nam quod eam partem Heynius rebus Dioneis ita dicatam fuisse putat ut extrema viri fata Ol CVI. 3: a. Chr. n. 354 vel potius 353 [30]) Athanas non egrederetur: sine dubio ille quidem, ubi is apud Dio-

[29]) In magna inconstantia versantur litterati vetusti. Mongitorius Bonannum reprehendit quod libros XXIII posuerit, Hoium vero in hist. an. mundi 3589. quod XXVII. Ipse autem Athanam non XIII aut XIV libros scripsisse ait sed XXXIII.

[30]) Ebertus enim in *Σικελιῶνι* suo p. 19 — 33. *Κόρεια* Syracusana, quibus Dionem trucidatum constat (Plut. Dion. 56. 57), non auctumno celebrata esse docet, Attico

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dorum „ἄρξασθαι τῶν περὶ Δίωνα πράξεων“ narratur, generalem operis inscriptionem deprehendere sibi visus est. Verum Athenaeus l. c. afferens sub Athanidis nomine scriptoris nostri Σικελικὰ corporis universi si non verum at saltem verisimiliorem titulum suppeditat. Huc accedit quod a Plutarcho iu Timoleontis vita bis Athanis de huius viri rebus testis producitur: semel de numero[30]) colonorum, qui post tyrannum expulsum clarissimi Corinthii accitu Syracusas confluxerint c. 23. 5. „Ἤδη δὲ καὶ τῶν ἐξ Ἰταλίας καὶ Σικελίας πολλοὶ τῷ Τιμολέοντι συνεληλύθεισαν· καὶ γενομένοις αὐτοῖς ἑξακισμυρίοις τὸ πλῆθος, ὡς Ἄθανις εἴρηκε, τὴν μὲν χώραν διένειμε, τὰς δὲ οἰκίας ἀπέδοτο χιλίων ταλάντων κ. τ. λ.:“ deinde de tempore, quo Timoleon oculorum suffusione laborare coeperit, c. 37. 5. „Ὁ δὲ Ἄθανις ἔτι συνεστῶτος τοῦ πρὸς Ἵππωνα πολέμου καὶ Μάμερκον ἐν Μυλλαῖς ἐπὶ στρατοπέδου φησὶν ἀπογλαυκωθῆναι τὴν ὄψιν αὐτοῦ καὶ πᾶσι φανερὰν γενέσθαι τὴν πήρωσιν, οὐ μὴν ἀποστῆναι διὰ τοῦτο τῆς πολιορκίας, ἀλλ' ἐμμείναντα τῷ πολέμῳ λαβεῖν τοὺς τυράννους· ὡς δὲ ἐπανῆλθεν εἰς Συρακούσας εὐθὺς ἀποθέσθαι τὴν μοναρχίαν καὶ παραιτεῖσθαι τοὺς πολίτας, τῶν πραγμάτων εἰς τὸ κάλλιστον ἡκόντων τέλος.“ — Quae quum ita sint, Boettcherus l. c. Athanam rerum Timoleontearum scriptorem appellare non dubitat; Heldius cunctantius locutus videtur esse. Neque ego sane is sum qui de talibus nimium praestet. At vero quum Athanam se ad Philisti opus applicavisse clarum sit, ea autem, quae de Timoleonte Athanis Plutarcheus memoriae prodidit, narrata in transcursu multo minus credi possunt quam quae de Dionysio priore idem auctor apud Athenaeum: haud absurde eum utriusque Dionysii res ad finem ita adduxisse ponas ut tyrannis socium etiam vindicem tyrannidis adiungeret.

Pyanepsione, sed „quinque vel sex mensium spatio a Thesmophoriis proprie dictis“ seiuncta, tempore verno, Attico Munychione vel etiam Thargelione.

[31]) Athanim enim hoc loco „nil nisi Timoleonteorum colonorum numerum Plutarcho subiecisse“ contra Goellerum, qui l. c. p. 16. ad hunc scriptorem etiam de sequentibus provocat, iam monuit verissime Boettcher. l. c. p. 15.

Io. Frid. Iulius Arnoldt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf